

## De Nasone

MICHAL CTIBOR

*Docentce Evě Kutákové k životnímu jubileu*

Accipe, quaeso, magistra carissima litterarumque Romanarum doctissima, hoc munus quod- et quantulumcumque. *Cui enim dono...* potius quam tibi quae in multorum animis amorem huius poetae, cuius incertissima mors ante duo milia annorum (ut quidem creditur) forte his diebus commemoratur, excitaveris excitesque. Si quid nimis rude ac rusticum in carmine reppereris (quae certe insunt plurima), te nihil vidisse simulaturam certo scio: novimus enim clementiam liberalitatem magnanimitatem tuam. Equidem tibi anno Vergiliano meliora et eruditiora promitto, multa postea.

Optime vatum, tu iam adolescens attonuisti  
 Romanos, risu neglegens civilia bella.  
 Non curant *Rerum naturam* aut noscere fata  
 Aeneae, nunc Plautu' iacet, nunc nemo emit ullum  
 hoc uno excepto seu suavis ludit *Amores* 5  
 sive est praeceptor prendarum deliciarum  
 seu nova corpora ait vel si parat edere *Fastos*.  
 Quandocumque domo it, statim obsidione tenetur:  
 ex amplexu it in amplexum, salvere iubentes  
 pellendi prope furca et (pristina vota) puellas 10  
 instantis pulchras nunc haud numerare valeret.  
 Ecce autem ut mare scit faciem convertere puncto  
 temporis et modo tranquillum subito aequora tollit,  
 sic etiam Fortuna favorem mutat et aufert!  
 Quid facis, Auguste? Heus! Musas heri amare solebas! 15  
 Roma haud sperabat crudelem te fore regem,  
 cum tibi sceptrā dabantque Augustumque esse iuebant!  
 E tecto rapitur vi mundum extremum aditurus:  
 coniuge pone domi licta loca inhospita solus  
 consuescit tolerare miser viduumque cubile. 20

- Ne luctu pereat, solitis in versibus quaerit  
solamen quoddam cantandoque otia pellit:  
est etiamnum vel gratissimus hic quidem alumnus  
Musarum secumque relegatus sua portat  
omnia (maximum enim ingenium, facundiam et artem), 25  
sed nemo est praesens, qui vati plaudere possit.  
Cantat, at admiratorum deest magna caterva,  
olim fine carens plausus iam non alit aures,  
olim infinitae laudes nunc terga dedere.
- Noctes atque die' canit et canit ingeniose: 30  
optima verba autem breviter tantummodo vivunt  
maturantque mori nullis concredita chartis,  
nullius menti mandata aut tradita nobis.  
Versibus ex illis veniet tibi gloria nulla:  
maestum ut coniugium, ex quo non sunt pignora nata, 35  
nulli visus flos, agri messoribus orbi,  
Aiacides sine Homero aut tellure obruta gaza –  
non aliter pereunt gemmae, quae pectore fundis.
- Forsan, Naso, esset tolerabilis haec tua ruina,  
si scisses tua concessum iri maxima vota: 40  
nam neque edax tempus neque Iuppiter invidiosus  
fulmine vel Volcani ignes abolere valebant  
carmina quae liquisti scripta nepotibu' gratis.  
Iuppiter autem Medeam pro omnibus unam  
postulat (heus!), opus amplum iudice Quintiliano. 45
- Quod tum mens scire haud potuit ignara futuri:  
ante oculos tabet tantum iam semivir aeger  
(at vates totus tamen adhuc). Hiscere, quando  
finierit vitam, poterit neque dicere nemo.  
Phoebus enim miseratus ei faciem novat atque 50  
in sua carmina eum mutat, prout ipse precatust:  
fit liber ex animo subito, modo qui fuit liber,  
ante fuit quod pes, sub eodem nomine mansit,  
impetus ad ludum est praesto quoque corpore adempto,  
tristitia annorum libro horum nomina fecit. 55